

miseri cordiam: ideo multitudinem miserationum petit: quæ multis peccatis subvenire possit, dicens. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Vel (ut translatio Hieronymi juxta hebraicam veritatem habet) Dele iniquitates meas. Noverat quippe David multas esse Dei misericordias, qui in alio quodam Psalmo (118.) ait. *Miseri cordia tuae multe Domine.* Quas quoniam in se expertus erat, vicem pro illis Deo referre cupiens, quasi quodam gratitudinis symbolo ait. (*Psal. 88.*) *Miseri cordias Domini, in æternum cantabo.* Multas dixit esse Dei misericordias: quoniam etiam unica sit tantum Dei misericors & benigna voluntas, multa sunt tamen quod Deus nostri miseratus, in nobis quotidie operatur: ob quam causam, multas esse dicimus Dei misericordias, nomen causæ, pro nomine effectus. Tanta est misericordiarum Domini multitudo, ut illis enarrandis, homo non sufficiat: etiam si omnia ejus membra verterentur in linguas. Nihil est enim à summo usque deorsum, in quo non resplendat divina misericordia: quoniam illa super omnes creaturas diffusa est, quemadmodum idem Propheta in alio Psalmo 144. ait. *Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.* Universis quidem, quia *solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super justos & injustos.* (*Mat. 6.*) Super omnia opera sua effudit suam misericordiam, cum totum hunc visibilem mundum condidit. Condens siquidem creaturas, tribuit illis ut essent, quod nec illis debebat, nec à seipsis ullo pacto habere poterant. Quia in re, aperta est Dei misericordia, propter quod, postquam dixerat, miserationes Dei esse diffusas super omnia opera ejus, statim subjunxit. *Constituatur tibi Domine omnia opera tua.* Ac si diceret: Omnia opera tua te laudare tenentur, quia tu in omnia illa, tuam effudisti misericordiam. Deinde super omnia opera sua, effudit suam misericordiam: quia omnia opera sua testantur misericordiam quam homini exhibuit: cum illa omnia, non sibi, sed homini condidit. Nam si sibi condidisset, potentia ejus, aut sapientia laudari potuisset: nunc vero, quoniam hæc omnia nobis condidit, immensa illius manifestatur misericordia. Nobis siquidem germinat terra herbam virentem, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum. Nobis producant aquæ pisces, & reptile animæ viventis. Nobis spirant venti, fluunt amnes, scaturit fontes, flagrant lacus, æstuant maria. Nobis voluntur in gyrum cæli: lucet sol per diem, & luna cum stellis per noctem. Nobis pendulæ nubes umbram faciunt, & agros irrigant: ut aquis receptis, nobis inde fructus proferant. Et ut nihil sit, quod nobis non dederit divina misericordia, angelos etiam, qui multo dignioris naturæ quam nos sunt, nobis etiam dedit: sicut Paulus in ea, quæ ad Hebræos est epistola, de illis loquens, docet, ita inquit, *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hereditatem capiunt salutis?* Quicquid ergo homo habet (habet autem omnia, quæ quædam habuerit in corde suo Deum) totum hoc misericordiam Dei imputet, oportet. Quod homo vivit, quod comedit, quod dormit, quod vigilat, quod recte valet, quod ægrotat, quod prosperis fovetur, quod adversis dejicitur, quod in adversis consolationem recipit, quod illa patienter tolerat, quod ab adversis eripitur, hoc siquidem totum misericordiam Dei tribuere debet: quia totum à divina misericordia procedit. Non enim minus misericors est Deus cum adversa mittit, quam cum prospera: sicut non minus misericors est chirurgus, cum ligat, se-

cat, aut urit, quam cum oleo ungit, aut aliis lenioribus fomentis medetur. Nam hæc ipsa mala frequenter mittuntur à miserante Deo, ut vel nos purget à sceleribus commissis, vel deterreat à committendis, vel ut virtutis exercendæ materiam subministrant. Non ne misericorditer agit pater cum filium corripit? Sic Deus tamquam benignus pater misericorditer agit, cum castigat eum quem diligit, & corripit omnem filium quem recipit. (*Heb. 12.*) Sic enim ipsemet testatur in Psalmo 88. dicens. *Si justitias meas prophaverint, & mandata mea non custodierint: visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.* Sive ergo Deus prospera mittat, sive adversa, gratias illis pro omnibus reddamus: quia hæc & illa nobis confert, semper nostris commodis consulens. Hæc enim, ut arbitror, est causa, propter quam Job ait. (*cap. 2.*) *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus?* Quia videlicet sciebat Job, æque in nostram utilitatem Deum præstare mala ac bona. Sed post has omnes misericordias, succedit alia omnium maxima, hominis videlicet jam creati reparatio, atque redemptio. Nam hoc multo mirabilius est, quam condidisse hominem, illique totam hanc mundi fabricam subjecisse, oves, scilicet, & boves universas, insuper pecora campi, volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris. (*Plas. 8.*) Et hoc quisquis religiosa mente consideraverit, certe non dubitabit esse verum. Nonne multo mirabilius est, Deum esse factum hominem, quam angelos esse conditos à Deo? An non magis stupendum, Deum involutum pannis, vagire in præsepio, quam illum regnare in cælo quod condidit? An non magis mirandum Deum sitire & esurire, quam illum torrente voluptatis suæ inebriare alios, & ex abundantia sua dare cibos omni carni? Hoc certe mysterium, superat omnem intellectum, non solum humanum, sed etiam angelicum; propter quam causam angeli, Deo ex utero Virginis nato, vel uti in factu omnium maxime stupendo, canunt gloriam in altissimis Deo: (*Luc. 2.*) quia videlicet videbant infimam humilitatem ejus, cujus agnoscebant excelsissimam sublimitatem. Conditi mundi rationem vident & intelligunt impij demones: insaturati mundi consilium latant eos, sicque factum est, ut ars artem falleret: ars videlicet misericordiam, artem malitiæ. Hæc est illa effusissima Dei misericordia, quam David brevi, compendioso tamen encomio prædicat, dicens. (*Psal. 26.*) *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio: & ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.* Nam totum misericordiam suam fontem Deus aperuit, & omnes suæ bonitatis divitias nobis ostendit, cum factus homo, pro hominibus mori dignatus est. Sed præter hanc misericordiarum numerofam multitudinem, quam omnibus hominibus sive justis, sive peccatoribus impendit, sunt adhuc quedam alie speciales misericordiam, quas Deus circa animam peccatricem quotidie exercet: quibus recensendis, hoc à altero proximo sermone incumbemus. Prima ergo misericordia est, quod à multis peccatis, in quæ prolabi potuerat, peccatorem custodivit. Prima, inquam, non omnium, sed hærum, quas nunc enarrare proponimus. Certum enim est, quod sicut in multis cecidit peccator: ita etiam in multo plura cadere potuerat, nisi omnipotentis Dei pietas immensa conservasset. Ex uno peccato devenitur ad aliud, & unum peccatum impellit, ad alterum, & hoc ad aliud sine fine: nisi Dei misericordia finem nostris peccatis imponat.

nat. Quemadmodum lapide in aquis projecto, exciatur quidam fluctus: qui simul, ut exortus est, mox alterum exciatur, post quem alius oritur, & ex hoc alius iterum procedit, & sic in immensum sine fine, quousque fluctus in tetram vel petram quampiam impingant, quæ fluctuum multiplicationi obstat: ne videlicet fluctus ultra progrediantur. Sic uno peccato (semel commisso, ex eo oritur aliud, velut fluctus ex fluctu: ibique hæc fluctuatio in immensum, nisi divina misericordia hujusmodi peccatis se obiciat, ut ea impediatur. Qui enim avaritiæ deseruit, si aliquid non potest pecunias; quas immoderate cupit, habere, desiderii impotens, ad rapinam festinat: ut vero hanc occultet, mendacio & perjurio se tueatur. Nam (ut ait Poeta quidam) Fallacia alia, aliam trudit. Hoc autem in David factum, quod nunc in præsentibus Psalmo deplorat, experiri licet. Quia enim oculis suis non prohibuit illicita conspiciere, & oculos scandalizans noluit abscondere, adulterium commisit. Ne autem in eo crimine deprehenderetur, homicidium perpetrare non erubuit: etiam usque ad conditionis notam. Hinc est quod Propheta Oseas, peccata Israelitici populi enarrans, (*cap. 7.*) ait. *Maledictum & mendacium, & perjurium, & furtum inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Sanguis sanguinem tangit, cum peccatum unum, ad peccatum aliud impellit. Et hoc proventit ex illa miseriam peccatoris servitute, in quam cum semel peccavit, se ipsum lubens conjecit. *Qui facit, (inquit veritas) (Joan. 8.) peccatum, servus est peccati.* Unde fit, ut quotidianas usus, nova addens peccata persequatur: & reatus sui debitum, quotidie augeat. Et inde est illa divinæ misericordiam promissio, quam habemus in Psalmo 71. *Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum.* Quia videlicet divina misericordia nos protegit, ne has iniquissimas peccati usuras demoni persequamur: eum nos à peccatis multis, in quæ cadere poteramus, custodit. Fateor quidem, & pleno (ut ajunt) ore fatebor, quod nisi dominus adjuvasset peccatorem, paulominus cecidisset in omne peccatum anima illius. Quicquid enim malorum accidit cuivis alteri homini, illi etiam accedere poterat, nisi illum divina protexisset misericordia. Si ergo non est adulter, non perjurus, non homicida, non sacrilegus, quemadmodum sunt (proh dolor) nimium multi, der gratias Deo, & hoc totum illius misericordiam referat acceptum: quoniam hæc omnia erat, facturus nisi illum divina misericordia protexisset. Non enim pharisæus ille apud Lucam ob hoc reprehensus est, quod gratias redderet Deo, quia eum à pluribus custodiverat peccatis, sed quia superbe id faciebat, publicanum despiciens. (*Luc. 18.*) Tu ergo, si rectis consulis, citra aliorum despectum, quos in multa peccata lapsos esse conspicias, da gratias Deo, quia te à similibus custodivit, credens te similiter lapsurum, nisi te divina misericordia conservasset. Physiognomus quidam Socrate inspecto censuit, illum esse hominem avidum luxus, & libidinis effrenatæ. At discipuli (quibus probe erat explorata Socratis incredibilis temperantia) irridebant hominem, simulque indignabantur. Socrates vero discipulos coercens, Physiognomo applausit, dicens. Rem divinasti: quoniam hæc omnia eram, nisi philosophia me docuisset naturæ repugnare, & ab his abstinere. Sapienter quidem hæc Socrates: non tamen christiane. Ideo rectius mihi dixisse videtur beatus Francisus, meus & omnium fratrum minorum pater: qui quod Socrates tribuit philosophiæ, ille tribuit misericordiam divinæ. Quam enim socius ejus (nisi fallit memoria) Leo vocatus ex mandato

ejusdem patris, multis eum convitiis afflicisset: fornicatorem, adulterum, furem, homicidam, blasphemum, aliaque id genus appellans, patientissime tulit, ac semetipsum ob hæc omnia deploravit. Deinde vero eum focus ab eo perquireret, cur illum compulserit, tot, tantaque mendacia dicere in virum innocentem, cui nihil horum conveniret: respondit. Nihil mentitus es: quoniam hæc omnia eram, & multo plura: nisi me divina misericordia ab his malis servasset immunem. Secunda misericordia est, quod pro peccato jam commisso, pœnas meritas non statim exigit, sed illum expectat ad penitentiam. Sic enim ipse per Ezechielem Prophetam (*cap. 18.*) ait. *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis & vivat?* Magna est hæc misericordia, & in qua magis divina elucet bonitas. Propter quod, ut ait Apostolus, (*Rom. 9.*) dicit scriptura Pharaoni. *Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam.* Ac si diceret. Non te feci malum: sed excitavi. Malus enim eras, sed quasi sopitus: ego autem multis factis miraculis, excitavi te in eandem malitiam, hoc autem, ut ostenderem in te virtutem meam. In Pharaone ostendit Deus suam virtutem, cum illum totiens peccantem misericorditer toleravit. Magna certe est hæc misericordia, quam nec angelis peccantibus, nec primo homini præstitit: quoniam peccantem Luciferum non expectavit, sed statim cælo dejecit: nec Adam peccantem sustinuit, sed illico à paradiso relegavit. Postquam vero primus homo peccavit: ne tota humani generis massa propter peccatum illius periret: Deus nostri miseratus, ut nostræ luosæ perditioni subveniret, decrevit in carne humana pro nostris peccatis mortem subire. Quia igitur Deo, cui omnia sunt præsentia, agnus ille sine macula jam ab origine mundi occisus erat, ideo ex tunc propter merita hujus agni jam occisi, dignatus est Deus hanc misericordiam hominibus præstare: ut cum peccaverint, non statim eos pœnas debitas solvere cogat, sed ad penitentiam expectet. Sic enim primum post Adam peccatorem, videlicet Cain expectavit, quem post fratris invidiam, post homicidium, post proditorem, post impietatem, denique, quia credidit peccatum suum occultari Deo, & Dei misericordiam superare ab ejus iniquitate, illico punire noluit, dans illi tempus ad penitentiam. Ideo enim multi censent illum à clementissimo Deo usque ad septem generationes fuisse dilatum, ut saltem malis ipsis, & longæ vitæ morore compulsus, penitentiam ageret, & veniam promereretur. Cur Deus non expectavit Adam, Cain autem expectavit ut penitentiam ageret? Quia inter patris & filii peccatum, interjecta est agni innocentis mors, hoc est, Christi benedicti passio, quam Deus post Adæ peccatum subire decrevit: & propter hujus meritum, hanc consequutus est misericordiam Cain, ut ad penitentiam expectaretur. Sic etiam cum heu nimium multis peccatoribus postea Deus agit, & nunc quotidie agit: qui (ut Sapiens ait *cap. 2.*) *miseretur omnium:* quia omnia potest, & dissimulat peccata hominum, propter penitentiam. Civitatem illam Hierosolimam, quæ tot, tantaque mala in Christum innocentem machinaria est, non statim evertit: sed post annos fere quadraginta, à morte Christi, Romanorum iræ tradidit illam Deus. Non ob aliam causam supplicium differens, quam quod misericos est, qui illorum mortem non volebat, sed magis ut converterentur, & viverent. Et ob hanc causam, videns civitatem plorat, ut per fletum, viscerata suæ misericordiam ostenderet. Non ob aliam ergo causam tibi postquam peccasti,

excutere, cum a civitate, aut domo pacis indigna exirent: (*Matth. 10.*) significans eos qui mundum reliquant, debere omnes, has mundi facultates a suis affectibus procul abigere. Avaritia ergo, quæ pulveris rebus insidet, animam inquinat: perinde ac pulvis vestem. Est adhuc tertium immunditæ genus, rerum videlicet liquidarum aut liquabilium, ut sunt oleum, cera, sebum. Tales sunt delicia: quoniam blandæ sunt, & placidæ tactui, quem admodum illa omnia. At illa non solum inquinant ea, quibus hærent, sed insciunt: sic etiam deliciae. Hinc apud sapientem dicitur, (*Ecl. 13.*) *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Bene autem carnis deliciae comparantur picem: quoniam pix facile hæret, & hærens adeo tenaciter imprimitur, ut vix elui possit. Sic carnis deliciae facile homines ad se trahunt, difficilime tamen ab illis evelluntur, qui illas semel experti sunt. Nam Oseas Propheta de illis ait, (*cap. 4.*) *Fornicari sunt, & non effugerunt.* Videte quomodo non cessant: quoniam & si vocantur ad cenam gloriæ, ut tamen delictis cupitis fruantur, venire renuunt. Nam unus ex illis, qui ad cenam invitati fuerant, dixit, (*Luc. 14.*) *Uxorem duxi, habe me excusatum.* Merito ergo carnis deliciae picem comparantur, quæ sic tenaciter hærent, ut illa. Et qui hanc deliciarum picem tetigerit, inquinabitur fedissime, sic ut difficilime mundetur. David ergo cognoscens peccatum suum, & sciens maculam quam inde contraxerat esse tenacissime impressam, & difficile mundari, petit Deum, ut multum lavetur, dicens, *Amplius lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.* Duo petit videlicet, lavari ab iniquitate, & mundari à peccato. Non enim idem iniquitas, & peccatum. Nam iniquitas, juxta Ambrosii sententiam, ad mentis improbitatem refertur: peccatum ad corporis prolapsionem. Iniquitas in mente latet: peccatum foris prodit. Ut autem aliquis justus inveniatur, ab utroque mundari oportet: quemadmodum in libro Job (*cap. 11.*) dicitur, *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abfuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo injustitia, tunc levare poteris faciem tuam absque macula.* Quibus verbis, duo exigere videtur ab eo qui immaculatus esse cupit, videlicet, ut iniquitatem, quæ est in manu sua, auferat, & non maneat in tabernaculo suo injustitia. Per quæ, duo peccatorum genera significare videtur scilicet peccatum in cogitatione, & peccatum in exteriori operatione. Per manum nostram operationes nostræ designantur, prout in illo Salomonis loco patet, ubi ait, (*Prov. 19.*) *Abfcondit piger manum sub ascella, nec ad os suum applicat illam.* Quia enim ore loquimur, manu autem operamur, ille ad os suum manum non porrigere dicitur, qui dictis facta non æquat. Iniquitatem ergo ille in manu habere dicitur, qui eam usque ad exterioris operationem perducit. Per tabernaculum autem cordis secretum intelligitur, in quo abscondimur, ne aliquid cogitantes ab hominibus videamur. Injustitia intra tabernaculum manet, quoties peccatum intra cordis latebras continet. Ille ergo faciem absque macula habet: quia manu abstulit iniquitatem, & à tabernaculo injustitiam; quia ille conscientiam mundam & immaculatam habere dicitur, qui nec opere, nec cogitatione peccavit. Ex quibus colligimus, animam nostram dupliciter maculari: opere scilicet malo, & mala etiam cogitatione, aut voluntione. Qui ergo nec bene operatur, nec bene cogitat, is duplicem maculam se habere convincitur. Quæ duplex macula, in duplici lepra, quam Leviticus liber (*cap. 13.*) in carne & in cute esse describit, figuratur. Nam lepra in cute, peccatum in exteriori operatione significatur. Lepra vero in

carne, peccatum in cogitatione. Hinc anima justæ, quæ de spirituali pulchritudine in canticis laudatur, bis pulchra esse dicitur. *Quam pulchra es* (inquit *Cant. 4.*) *amica mea, quam pulchra est, ut eam in exteriori, & interiori conversatione pulchram esse innoteret. Nam aliqui sufficiebat semel dixisse pulchram. David ergo, qui plene mandari optat, utramque maculam à se auferri petit, operis scilicet & cogitationis, & ideo ait, *Amplius, vel multum, lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.* Ita ut (juxta dicitur Ambrosii sententiam) iniquitas ad interiorem, peccatum autem ad exteriorem culpam referatur. Verum percontari hic libet: quare David, qui jam mundus erat, iterum lavari postulat? Nonne ipse ad vocem Nathan Prophetæ statim agnovit, & confessus est peccatum suum? Nonne lachrymis suis stratum suum rigavit? Quid igitur amplius petit? Numquid forte trepidat timore, ubi nullus erat timor? Securam certe illum suæ lachrymæ reddere debuissent: quoniam juxta Dei promissum, (*Eze. 18.*) *in quacumque hora peccator ingemuerit, amplius illius Deus non recordabitur.* Quid ergo amplius lavari postulat? Petit certe amplius lavari: quia licet lachrymæ lavent sordes peccatorum, non tamen quantumque lachrymæ sunt satis quamlibet gravi peccato. Nam gravia peccata (teste Augustino) gravissimis indigent lamentis. Scio tamen esse aliquos ex recentioribus Theologis aliter sentientes, qui peccantibus facile securitatem promittunt: dicentes, minimam quamque peccatorum peccatitudinem (modo illa ex Dei amore procedat) ad gravissimum quodque peccatum delendum sufficere. Quæ sententia, utinam tam vera esset, quam pia: verior tamen ne qui ita senserant, experientia illos docente, aliter nunc jam sint sentire compulsi. Nam si, (scriptura sacra testante *Deut. 5.*) promensura delicti erit plagarum modus, cur non etiam promensura delicti erit peccatitudinis aut doloris modus? Præsertim cum peccatorum remissio, quæ penitentia interveniente præstatur, non extra justitiæ regulas fieri credatur. De illis, qui ita sentiant, Hieremias Propheta locutus fuisse videtur: (*cap. 6.*) cum ait, *Curabant contritionem filii populi mei cum ignominia, dicentes: pax pax, & non erat pax.* Cum ignominia contritionem populi curat qui peccant, & non satis penitentiam continuo securitatem promittit. Qui omnem dolorem, omni peccato sufficere credunt, similes mihi videntur medicis imperitiis, qui nulla morborum ratione habita, eodem pharmaco omnibus mederi nituntur, cum alius morbus aliud medicamentum requirat, & aliud peccatum aliam penitentiam postulet. Et in hanc sententiam omnes veteres Theologi non solum quos scholasticos vocant, quibus non parum debetur: sed primores illi Ecclesiæ patres, sanctitate perinde ac doctrina illustres, manibus (ut dicitur) ac pedibus eunt. E quibus quoniam aliorum sententia jam vulgo est manifesta: unum solum Cyprianum in hujus sententiæ testem producam, qui circa calcem cujusdam sermonis, qui inscribitur, De lapsis, sic ait. Deus quantum patris pietate indulgens semper & bonus est, tantum judicis majestate metuendus est. Quam magna deliquimus, tam granditer desecamus. Alto vulnere diligens & longa medicina non deficit. Penitentia minor crimine non sit. Putas ne tu Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti: qui parimoniam præputere maluisti? cujus templum facilligæ contagione violasti? Putas facile misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Hæc & multa alia huic proposito concludentia, ille loco differt Cyprianus. Cujus verbis nil apertius in hujus*

HOMILIA VII

jus sententiæ favorem dici poterat. Malo igitur cum Cypriano, Augustino, Ambrosio, Isidoro, & (ut ad inferioris defendam) cum Thoma, Bonaventura, Alexandro sentire, quam cum his neotericis, qui divinam misericordiam nimium extendere volentes, forte rumpunt. Dicamus ergo nos, peccatorum remissionem, divino tantum judicio pensari, non humano. Ac proinde cum nos latear ipsa lachrymarum mensura, quæ peccatis lavandis sufficit, oportet, ut nunquam simus securi hac sola fiducia, quod jam pro peccatis nostris ingemimus. David igitur agnoscens peccati sui foeditatem & nesciens an satis lachrymarum ad illam abluendam effuderit, precatur, dicens, *Amplius lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.* Ac si diceret. Scio quidem me lachrymis meis esse ablutum, nescio tamen an plene mundus evaserim: quia nescio, an satis lachrymarum effuderim. Quæ tot tantaque peccatorum maculas mundare valuissem. Quæ peto, ut gratiam stendi, quam semel impartitus es, non subtrahas: quin potius oculis meis fontem tribus lachrymarum, ut incessanter pro peccatis meis plorem, lachrymasque uberim emittam, quibus bene me lavare possis, Aut aliter. Ideo amplius lavari petit, aquis videlicet divinæ misericordie: quoniam scit omnes hujus mundi lachrymas non sufficere ad abluendas sordes peccatorum, si districto judicio Deus cum peccatoribus agere velit: quod testimonio Job comprobatur, qui ait, *cap. 9.* *Si lotus fuero quasi aquis nivis, & velut mundissima fulserint manus meæ: tamen sordibus intingens me. Id est sordibus intinctum me esse convinces. Nam Deus eos sordibus intingere dicitur, quos sordibus intinctos esse demonstrat. Convincet autem quemlibet sordidum esse, etiam si aquis nivis lotus fuerit. Aquæ nivis, quæ ex celo defluunt, & non ex terra, sicut fontium & fluminum aqua, eas lachrymas designant, quas Deus inspirat, quæ pro caelestium, & non pro terrestrium amore funduntur. Verum & si hujusmodi lachrymis peccator lavetur, immundus tamen à Deo judicabitur, si Deus illum ad nimis exactum justitiæ gnomonem examinare velit. Et ob hanc causam David etiam postquam peccatum suum agnovit, & illud fateri non erubuit, etiam postquam lachrymis suis stratum suum rigavit, & populum suum cum steru miscuit: videns hæc omnia, nisi Deus sua misericordia lavare dignetur, & non sufficere ad peccatorum sordes abluendas, Deum orat, ut illum mundare dignetur, dicens, *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Ac si diceret. Scio Domine virtus salutis meæ, tot tantaque esse peccatorum meorum sordes, quæ etiam si omnia ossa mea liquerent, & per oculos in lachrymas defluant, mundare me non possunt. Tu ergo, qui plusquam omnes illæ potes, lava me ab iniquitate mea. Tu qui solum mundum de immundo facere potes, à peccato meo munda me. Lava me primum, doctrina tua peccatissima: ut illis annumerari valeam, quibus Joannes, *cap. 13.* te dixisse refert. *Jam vos mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis.* Amplius lava me aqua gratiæ tuæ, de qua qui biberit non sitiet iterum, sed fiet in eo fons aque vivæ salientis in vitam æternam: (*Joann. 4.*) quam nobis præstare digneris per merita Jesu Christi filii tui, qui tecum & cum Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

Recreationis quam in hoc Psalmo David facit propositionem; hucusque auditus: cum videlicet, suorum peccatorum, quæ magna, & multa, & tenacissime impressa esse innuebat; veniam postulavit à Deo, ejus misericordiam, cum ex magnitudine, tum ex multitudine magnifice extollens, quo animum Dei, quem sibi iratum censebat, conciliaret, & benigniorem ad precationem ipsam audiendam redderet. Nunc jam audite argumenta quibus urgere incipit, Deum ipsum quasi cogere volens, ut illi misericordiam præstet. Et primum argumentum fumit ab honesto, quod legibus nititur, sic inquit, *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Quis confessus fuerit peccata sua (ait sapiens *Prov. 18.*) *misericordiam consequatur.* Ecce legem pietissimam, quam pro delinquentibus in via dedit misericors & miserator Dominus. David peccatum suum agnoscebat, nec abscondit illud, immo fateretur: & hanc peccati sui cognitionem, & confessionem pro argumento fumit, quo Deum ad misericordiam flebat, inquit: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Cum ego peccatum meum celabam, dignus non eram, cui veniam præstares: quia scriptum est, (*Pro. 18.*) *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur.* Et talibus per quemdam Prophetam minatur Dominus, dicens: *Si celaverint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos.* Mare profundum, quod nemo scrutari potest nisi solus Deus, cor humanum est. In hujus maris profundo se celat, qui peccata sua inter cordis secreta sic abscondit, ut ea consisti erubescat. Sed hunc talem, Deus tradit diabolo, ut mordeat, & tandem in ventrem suum, hoc est, in infernum deglutat. Si ego peccatum meum celarem, dignus essem, cui tam denegares misericordiam: nunc vero quia iniquitatem meam cognosco, dignus sum, ut mihi misericordiam præstes. Primus gradus ad corporis sanitatem recuperandam est, ut eger morbum, quo laborat, agnoscat: quia quo magis se recte valere putat, eo minus auxilia medicorum requirit, & (quod damnabilis est) si quod forte morbi antidotum illi ultro offeratur, tamquam qui non egerat, contemnet, insuper & fastidiet. Et hinc evenit, ut periculosissime ægrotet, qui se ægrotare ignorat. Sic etiam qui se peccasse non agnoscunt, salutem animæ assequi non possunt: quia medicinam peccato necessariam nunquam requirent, medicum contemnent. Numquam enim poterit facti, nisi qui prius se male egisse intellexerit. Numquam etiam dicet in aures confessorii, quod peccatum esse non putat. Sunt autem (heu nimium multi) qui etiam cum scelus aliquid grave commiserint, se male egisse non putant: immo potius tamquam de excellenti aliqua virtute gloriantur. Si virginis pudicitiam aliquis expugnavit, aut si viduæ obituum in pudicitiam animum alius emollivit, si nece hominis, si latrocinii insidias machinatus est, si ex rapto vivit, quisque horum, hoc quod agit, putat esse virtutem. Et hinc evenit, ut cum male fecerint, letentur (prout ait Sapiens *Prov. 2.*) & exultent in rebus pessimis, qui dolere, & qua si luctum unigenitæ plangentium amarum facere debuissent. Hi miseri peccatores sunt phreneticis similes: qui cum morbo gravissimo laborent, recte tamen se valere putant, ridet, jocantur, exultant, tamquam si nihil patiantur. In medicos furiant, curari se non permittunt, sæviunt in eos qui illis ser-

Nulla est peccati longævitas, quæ divinam possit impedire misericordiam. Non enim sicut pacto quodam temporis spacio à legibus humanis statuto, nullus finitur ipsius legibus ablata repetere: sic legibus divinis post longa peccandi spacia, non liceat indulgentiam postulare. Absit, ut hoc tribuamus pietissimo Deo nostro, quod ad lites tollendas advenit humana conditio. Nulla prolixitas temporis vel æquitati divinæ, vel pietati præjudicat. Pœnitentia, namquam est apud Deum sera, in cuius conspectu semper pro præsentibus habentur tam præterita quam futura. Si diuturnitas peccatorum, Dei vinceret misericordiam, non in ætate novissima Christus veniret, ut peccatum mundi pereantis auferret. Si aliquam ætatem judicaret Dominus penitentiam remedium ineptam, non diversis temporibus vocaret, & mitteret operarios in vineam suam. (Matth. 20.) In diversitate quippe horarum, juxta sanctorum interpretationem, intelligitur ætatum diversitas. Sicut igitur in quacumque hora veniens ad laborem vineæ recipitur, & merces illi datur: ita quacumque ætate vocatus, si benignitatem vocantis Domini non spernit (vocat autem Deus omni hora) necesse est, ut denarium etiam vitæ perennis accipiat. Nullum est tam gravissimum peccatum, cui non sufficiat divina misericordia. Nullum tam lethale crimen, & peccatorem tali peccato infectum, etiam cum mortuus fuerit, à morte ad vitam revocare. Hoc enim tres illi mortui portendunt, quos Dominum Jesum Christum suscitasse, Evangelia testantur. (Matth. 5.) Archisynagogi filia, quam intra domum, paucis admisis, suscitavit, eum figurat, qui sola cogitatione, aut voluntatis proposito peccavit, nondum perducens ad opus quod mente decreverat: hunc porrecta manu facile erigit Dominus Jesus, tegens etiam illius turpitudinem, adjuvans eum, ne quod in corde faciebat, in conspectu omnium effundat. (Luc. 7.) Adolescens viduæ filius, qui jam efferebatur ad sepulchrum, illos designat, qui peccatum suum, non intra solas cordis latebras continuerunt, sed opere impleverunt, quod in corde disposuerant: ita ut non solum conceperint dolorem, sed etiam pepererint iniquitatem. Quisquis talis est, per publicam pœnitentiam revocatur ad vitam. Residet enim, cum peccare desinens, erigit sese ad propositum vitæ melioris. Loquitur, cum confessus suam turpitudinem, petit Dei misericordiam. Redditur vivus matri, cum peractis remediis, restituitur Ecclesie communioni. (Joan. 11.) Lazarus denique jam sepultus, qui jam fœtebat in monumento & velut jam de vita desperatus desolebatur à fororibus & amicis, illum designat, qui obduratum habens cor, sub peccati obstinatione jacet, ut nec Deum nec homines vereatur, nec suæ salutis, nec famæ consulens. Sed hunc etiam dominus suscitavit, magno clamore jubens illum prodire foras. Vos ergo si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra: quia etiam si mortui peccatis fueritis, suscitabit vos Dominus Jesus: quoniam nullum est genus mortis tam deploratum & conclamarum, quod ille sua voce non propellat, ad cuius vocem resurgunt etiam hi qui in monumentis sunt. Ex quibus omnibus convincitur, & proferuntur. Novati impia sententia, quæ tantum divinam imminuit misericordiam, ut dixerit semel lapsis non esse dandam indulgentiam. Dura quidem sententia, & à divina misericordia nimis aliena. Si non est danda lapsis venia, perijt omnis Dei misericordia. Si pœnitentia non prodest peccantibus, inanes sunt illæ omnes divinæ promissiones, quibus promittit se omnium iniquitatum non

recordaturum, si impius pœnitentiam egerit. Deus igitur invenitur mendax? Absit. Nec opus est, adversus tam insanum & dementem errorem pugnemus, ut adversus quem tota sacra pagina pugnat: quia nihil aliud tantum prædicant & inculcant sacrae litteræ, quantum Dei erga peccatores misericordiam. Et ut omnia alia omittam, illud est apertissimum divinæ misericordiae testimonium, quod per Ezechielem Prophetam, cap. 18. ipse pietissimus Deus ait. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor. Ex quo colligimus, nullum esse tam lethale crimen, cui misericordia divina non valeat subvenire, & quod per pœnitentiam deleri non possit. Verum hic obstat aliquis de spiritu blasphemie, sive de peccato in Spiritum Sanctum, de quo Salvator ait. Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemie non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei in hoc sæculo, neque in futuro. Peccatum ergo in Spiritum Sanctum irremissibile censetur. Fatemur quidem peccatum hoc nunquam remittendum, quia peccatorem nunquam illius penitet. Nam peccatum in Spiritum Sanctum, Beatus Augustinus, epi. 50. censet illud dici in quo quis usque ad ultimum vitæ habitum perseverat. Et tale non est dignum pœnitentia. Nam si illud usque ad pœnitentiam perveniret, experiretur utique in se bonitatem divinæ misericordiae, quæ nulli penitenti non parcat. Nec parcat modo, sed donaria multa tribuit, quæ in libro Job, cap. 22. enumerantur his verbis. Si reversus fueris ad omnipotentem, & edificaveris, & longe facies iniquitatem à tabernaculo tuo. Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos: eritque omnipotens contra hostes tuos, & argentum coacerbabit tibi. Per terram conversatio terrena denotatur: per silicem, boni operis fortitudo, per torrentes vero aureos, doctrinæ celestis affluentia significatur. Pro terra ergo silicem dat, cum carnalem & abjectam vitam in bonæ operationis fortitudinem mutat. Pro silice quoque torrentes aureos præstat, cum boni operis laborem, & celestis sapientie mercede remunerat. Et propter hanc causam, (ut arbitror) Paulus (2. Cor. 1.) postquam appellavit Deum patrem misericordiarum, dicit etiam illum esse Deum totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Quibus verbis Apostolus aliquid misericordiae divinæ addere voluit, quo effusissimam Dei in peccatores misericordiam explicaret. Nam ad misericordiam solum pertinere videtur injurias condonare. Verum Deus non hoc contentus, ex ultore fit consolator, non solum peccata dimittens, sed etiam gratiam, qua deinceps in futurum cavere valeant, præstans. Et hoc est, quod nunc proxime ex libro Job protulimus: Dabit pro terra silicem. Hoc est, pro infirmitate fortitudinem, pro silice torrentes aureos, id est, pro ignorantia & cæcitate ex peccato contracta, equam sapientie salutari. Hoc totum, parabola illa evangelica de filio prodigo, apertissime ostendit. (Luc. 15.) Hic enim cum peregre profectus abisset in regionem longinquam, in qua receptam à patre substantiam portionem quæ illum continebat, dissipasset: urgente postmodum fame, agnoscens domus patris meliorem conditionem, quippe quæ abundaret panibus pro mercenariis, nusum pro filiis, ad patrem reversus est: qui videns filium humiliter peccatum suum agnoscentem, in illius amplexus, & oscula

tuens induit illum stolam primam: dat anulum in manum illius, & calceamenta in pedibus ejus: jubet adduci & occidi vitulam saginatum, parantur epulæ, fit denique lætitia magna: quia filius qui mortuus erat, revixit: qui perierat, inventus est. Non fuit contentus pietissimus pater filio perire, sed eum etiam in domum benigne & magna cum læticia recipere, & donaria insuper pretiosa tribuere, ut omnino mutatus esset in virum alterum. Hanc Dei misericordiam David agnoscebat, in illa velut in tutissimo portu, spei anchoram figens, quippe qui in sola Dei misericordia confidebat, precatur Deum, sic inveniens. Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam. Dele tu qui solus delere potes: nisi tu deleveris, non est qui delere possit. Non est qui possit facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu qui solus es. Tu enim me peccantem patienter tulisti, dissimulasti. Verum quia ego cæcitatebam, peccatum meum non agnoscebam, tu per Nathan me docuisti, ut illud agnoscerem. Tu me ad pœnitentiam adduxisti. Ut nihil ergo jam tuæ desit misericordiae, dele iniquitatem meam: remitte peccatum, & gratiam confer, qua possim assequi vitam æternam: quam nobis ipsa misericordia divina altissimum præstare dignetur. Amen.

HOMILIA VI.

Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

Multum de misericordia divina confidit, qui tam multa ab eo petere non veretur. Magnam misericordiam supra petit, quia magnum suum esse peccatum cognoscebat. Quia vero non unum, sed multa peccata se commisisse sciebat, multitudinem misericordiarum imploravit. Nunc denique quia peccata sua nimis tenaciter sibi hærescit tenit: multum lavari ab iniquitate sua petit, ut plene mundus evadere possit. Et ideo ait. Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. (ut translatio Hieronymi juxta hebraicam veritatem ait.) Multum lava me ab iniquitate mea. Unde colligimus in vulgata editione, comparativum esse subrogatum loco positivi: ita videlicet, ut illa vox, amplius, tantumdem valeat, sicut multum. Multum ergo lavari petit ab iniquitate: quoniam eam agnoscebat esse latissimam maculam, quæ cor suum sic fœdissime infecerat, ut multum lavari indigeret aquis divinæ misericordiae. Nam pannus, qui nimium infectus est, non semel tantum, aut iterum lavari debet, ut plene mundus evadat. David ergo, qui multum lavari petit, hoc ipso fatetur se nimis infectum ab iniquitate sua. Hunc autem esse germanum hujus vericuli sensum clarius expressit alia translatio, videlicet Joannis Campensis, quæ sic ait. Magis ac magis ablue me à scelere meo. Ex qua Davidis petitione colligimus, peccatum esse maculam, quæ non semel, sed iterum atque iterum lavanda sit. Peccatum esse maculam & sordes, factis aperte ostendit illud, quod Deus per Matthæum ait. (cap. 15.) De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemie, hæc sunt quæ inquinant hominem. Peccatum ergo animam inficit & inquinat. Nec tamen omne peccatum eodem modo inficit. Variantur siquidem inquinamenta juxta pecca-

torum varietatem: quoniam aliud, alio modo inquinat. Omne autem peccatorum genus, ternatio concluditur, quod Joannes enumerat, dicens. Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Et omne quod inquinare potest (quantum ego aestimo) triplici rerum differentia clauditur. Aut enim fumus est, aut pulvis, aut liquor alidus, sive id quod liquari potest. Fumo comparatur superbia: pro eo quod fumus alta petit, oculis nocet, cito evanescit & pertransit. Talis est per omnia superbia, quæ altos semper petit honores, non expectat, ut dicatur illi, amice ascende superius, sed ipsemet in alto se collocat, ambulans in magnis & in mirabilibus super se. Hæc oculis obest: quoniam nihil æque intellectum hebetat, ac superbia. Propter quod Paulus de ethnicis philosphis loquens. (Rom. 1.) ait. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Quantum autem hic superbiæ fumus oculis animæ nocet, vel inde colligi potest, quod sola superbia efficit, ne homo se ipsum agnoscat. Nemo enim se agnoscat avarum, nemo cupidum, nemo ambitiosum, nemo denique superbum: quoniam ipsam superbiæ, quæ tantæ cæcitatæ est parens & origo, nemo se habere cognoscit. Superbia ergo lædit oculum mentis, sicut fumus oculum corporis. Fumus insuper inficit parietes quamlibet albos, & denigrat eos: sic superbia mentes. Propter quod Hieremias de Nazareis loquens, cum dixisset eos candidiores de Nazareis lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores, continuo subjunxit. (Th. 4.) Denigrata est super carbonem facies eorum. Cum candidiores nive, & nitidiores lacte describantur, eorum tamen facies denigrata esse dicitur: quia cum de rebus virtutibus per elationem inaniter gloriantur, illorum candor & nitor, in carbonum nigredinem commutatur. Nazareorum nomine, abstinentium & continentium vita significatur: quoniam (ut ex libro Numerorum cap. 5. patet) Nazareorum lex tota in abstinentia & continentia sita fuit. Horum vita candidior nive, & nitidior lacte describitur. Per nivem, candor vitæ celestis significatur: quia nix ex aqua, quæ desuper venit, congelascit. Per lac autem, quæ ex carne ad parvulorum alimentum exprimitur, rerum temporalium in pauperes distributio denotatur. Et quia plerumque continentis viri in Ecclesia tam mira opera faciunt, ut ab eis multi, qui facultates suas pauperibus distribuunt, superari videantur, candidiores nive, & nitidiores lacte dicuntur. Et quia per fervorem spiritus, antiquorum patrum nonnumquam vincere videntur vitam, subjunxit. Rubicundiores ebore antiquo. Nam ruboris nomine, sancti desiderii flamma significatur. Ebur autem antiquum, ex candore in ruborem vertitur. Ebore ergo antiquo rubicundiores sunt: quia sæpe nonnullos præcedentes patres in fervore superare hominum æstimatione putantur. Sed quia his virtutibus de seipsa mens plusquam deest præsumit, & per elationem se super alios sublevare nititur, superbia denigranter fœscatur. Propter quod merito subjungitur. Denigrata est super carbonem facies eorum. Nigri post candorem fiunt: quia cum de susceptis virtutibus inaniter gloriantur, pulchritudo virtutum à fumo superbiæ denigratur. Altera est etiam immunditia, quæ ex pulvere superfuso contrahitur. Talis est avaritia, quæ in rerum terrenarum amore & possessione consistit. Has enim terrenas possessiones, pulveris nomine, appellat scriptura. Nam de avaro, cui terrene divitiæ dominantur, Job loquens, ait. Impius absconditur in pulvere suo. Hic est pulvis ille, quem Salvator noster præcepit discipulis suis de suorum pedibus

viam, quam non mereris, indulget; quam ut penitentiam agas, qua veniam consequi valeas: quoniam a mortuo velut qui non est, sicut perit confessio, sic & omnis penitentia. (Ecl. 17.) Quod si adeo obtulisti ingenium, ut hæc minime penetrare valeas, audi Paulum te docentem in ea, quæ est ad Romanos epistola. (cap. 2.) An ignoras (inquit ille) quoniam patientia Dei ad penitentiam te expectat? Quanta autem sit hæc misericordia, nemo plene scire potest, nisi ille, qui cum solvendo non sit, multorum se debitorem agnoscens in ipso est temporis articulo, in quo eum persolvere oportet; qualis est ille vir Evangelicus, decem millium talentorum debitor, quibus persolvendis, cum tota sua substantia non esset satis, & ab illo omne debitum exigeretur, clamavit. (Matth. 18.) Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Hic enim magnum quoddam donum censebat, solum solutionis dilationem (hoc est) prolongationem volat. At multi, hæc largissimam Dei misericordiam pro nihilo pendunt, nunquam penitentiam agentes, sed peccatum peccato addeunt, trahunt iniquitatem in funiculis vanitatis (ut ait Esaias cap. 5.) & quasi vinculum plaustrum peccatum. De talibus dicitur in libro Job. (cap. 24.) Dedit ei Deus locum penitentia, & ille abutitur eo in superbiam. Nonne abusus est, cum id quod tibi concessum est ad emendationem, tu vertis in damnationem tuam? Nonne abusus est, cum peccati tibi datum est ad penitentiam, tu accipis ad peccati obstinationem? Nonne misericordia Dei abuteris, cum ex illa ipsa divina misericordia audaciam peccandi sumis? Et qui sola Dei bonitate & misericordia agnita, ad amorem illius allici debueras, inde magis ad peccatum sollicitaris? Misericordia ergo divina tamquam calcariis uteris, quibus animum tuum vehementius ad peccatum urgere valeas. Nonne hic est divinæ misericordiae abusus? Propter hæc causam, sæpissime scripturæ sacræ tradunt Deum obdurare peccatores, & de Pharaone ipsemet Deus ait: (Exod. 4.) Ego obdurabo cor Pharaonis. Non quidem quod ille totius bonitatis fons, à quo nullum datum est quod non sit optimum, malitiam aliquam & obdurationem Pharaoni, aut cuiusvis alteri peccatori tribuerit: sed illos obdurare dicitur, quia illos pro sua patientissima misericordia diu tolerat, ob cuius tolerantiam illi redduntur deteriores. Quemadmodum enim Dominus aliquis qui servum nactus improbum, quem nimium benigne & clementer tractans, facit deteriorem: non quod Dominus servum malignitate imbuerit, sed quod servus Domini benignitate sit ad nequitiam augendam abusus: ad eundem modum, Deus obdurare dicitur peccatorem, cum ille misericordia Dei abutitur. Sed hunc talem, severa increpatione redarguit Paulus, dicens. An divitiis bonitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis contemnis? Contemnit, inquam, has bonitatis divitiis, qui non sic utitur illis ad penitentiam, ut Deus intendit: sed ad vanam securitatem vertit, æstimans Deum, aut non curare humanas res, aut libere remittere, quod punire differt. Ut autem doceat peccatorem non ita futurum esse ut ille putat, subjungit Paulus: Secundum duritiam autem tuam, & cor impenitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis iusti iudicii Dei. Thesaurizas (inquit) hoc est, accumulās & reponis tibi vindictam exercendam in die ultionis extremæ. Quoniam & si Deus patienter peccatorem toleret, & longo tempore ad sui vindictam procedat: ipsam tamen tarditatem, supplicii gravitate compensat. Funiculus enim nimium tensus, rumpitur: & mamilla nimium emulcæ, reddunt

sanguinem. Hinc est, quod fœcis illa, quæ sœlia tantum & non fructum habebat, maledicta est à Deo, & aruit. Propter quod Paulus in ea quæ est ad Hebræos, epistola ait, Terra enim sæpe desuper venientem bibens hymbrem, & germinans herbam opportunam illis: à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, ac maledictio proxima. Unde patet, malesecuros eos esse, qui nimium de misericordia Dei confidentes, peccatis suis indulgent. Propter quod eos admonet sapiens, cum dicit, Ne dicas, miseratione Domini magna est: multitudinis peccatorum meorum miserabitur. Misericordia enim est ira, ab illo cito proximo respicitur. Tu ergo si semel peccasti & Deo tibi tempus ad penitentiam dederit, noli abuti eo, sed potius agnosce beneficium, & Deo conservatori vitæ age gratias immensas, quod non te statim damnaverit: & ora, ut ad penitentiam perducat, qua vitam promerearis æternam. Quam nobis ipse Deus præstare dignetur per merita filii sui. Qui cum eodem Deo patre & Spiritu Sancto regnat per infinita sæcula Amen.

HOMILIA V.

Et secundum multitudinem miserationum, tuarum, dele iniquitatem meam. **P**ropter multitudinem, & magnitudinem miserationum, quas erga peccatorem Deus operatur: non potuimus superiori sermone, eas omnes absolvere, nisi prolixior justo fatutus fuisset sermo. Ut igitur sermonis prolixitatem vitaremus, duas & majores illius partes ad hunc sermonem distulimus. Magnum re vera fuit, peccatorem ab innumeris peccatis (in quæ pronus erat) custodisse: & hoc majus est, quod postquam peccavit, tempus ad penitentiam illi indulset. Sed si hic sistat, & non ultra divina progrediatur misericordia, illum ad penitentiam alliciens, & cum opus fuerit, impellens & trahens, parva hæc reputabuntur, parumque proficua. Nihil enim prodesset expectatio, si non sequeretur penitentia: immo potius iudicium damnationis accumularet, dicente Domino, (Psal. 49.) Hæc fecisti & tacui. Tacui inquam, quia non statim vindicavi, sed expectavi & distuli: tu autem velut alter Pharaon abusus misericordiam meam, obdurasti cor tuum. Tacuit: sed numquid semper tacebit? Numquid semper dissimulabit? Sicut parturienti loquar, (ait Dominus per Esaiam cap. 42.) dissipabo & absorbebo simul. Parum ergo proderit expectari, si non proficit penitere. Sed quis dabit cor penitens, nisi ille, à quo est omne datum optimum? Et hæc proinde tertia est Dei erga peccatorem miseratione, omnino major priore: quippe quæ facit, ne illa sit infructuosa, & vertatur in damnationem mortis, cum videlicet penitentiam donat, qua veniam peccatorum consequi valeat. An autem homo peccator, viribus suis possit ad penitentiam peccatorum pervenire, aut Deo motore indigeat, res est quibusdam dubia: cuius Pars quæque magno se iudice tuetur. Qui Deo favent, aliis videntur arbitrii liberatorem profus enervare. Contra vero, qui arbitrii potentiam nimis esserunt, censentur divitiis misericordiae divinæ quicquam detrahere. Si autem quid in hæc re sentiam, à me exigitur, plane dicam. Malo totum misericordiae divinæ, à qua etiam nostri arbitrii libertas prodit, tribuere, quam de divina misericordia vel tantillum imminuere, ut nostro arbitrio aliquid superbe arrogemus, ne mihi forte illa Prophætæ pre-

prehensio insonet, qui ait: (Psal. 51.) Quid gloriaris in malitia, qui potans es in iniquitate? Id est, quæ est hæc malitia tua, ut glorieris de bono aliquo, qui nullius rei plene potens es, nisi, ut opereris iniquitatem? Quapropter ergo (ut ingenue fatear) sentio peccatorem non posse ad penitentiam pervenire, nisi Deo specialiter juvante (hoc est) movente, & ducente, & impellente, & aut trahente. Nam & hoc apertius sacræ literæ produnt, quam ut dubitare liceat. Ipsa enim summa veritas ait. (Joan. 6.) Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum. Propter quod sponsa hanc suam impotentiam agnoscens, orabat dicens. (Cant. 1.) Trahe me post te, & curremus in odorem unguentorum tuorum. Trahe inquam: quoniam si tu non traxeris, ego ire non poterō. Hinc est, quod postquam Deus locutus Ezechielii Prophætæ præcipiens illi tamquam jacenti aut sedenti, ut staret supra pedes suos: ingressus est post hæc spiritus Domini in eundem. Prophetam, & statuit illum supra pedes suos. (Eze. 2.) Quia nisi illum spiritus Domini sublevasset, ipse surgere non valuisset. Peccator enim qui jacere potuit, surgere non potest. Recedere à Deo potuit, redire ad eum non potest. Est enim peccatoris spiritus vadens, & non rediens. (Psal. 77.) Et qui sic sentiebat, orabant dicens. Convertere nos Domine, & convertemur ad te. Petrus amare pro negatione veritatis fesse dicitur Evangelista, prius dixit. Respexit cum Dominus: quoniam si Deus suæ benignæ misericordiae oculos in Petrum non intendisset prius, ille ad lachrymas nunquam promoveretur. Sicut enim imago in speculo, quæ oculos in terram desexit, non potest eos à terra sursum reflectere, ut in faciem, à qua causata est, illos intendat, nisi facies, quæ est illius exemplar, oculos suos prius in illam iniecerit: sic peccatoris spiritus, qui oculos suos statuit declinare in terram, non potest oculos suos (intellectum videlicet & voluntatem) in illam Dei faciem, cuius ipse imago est, intendere, nisi Deus oculis suæ benignæ misericordiae illum prius respicere dignetur: ejus intellectum illuminans, ut peccatum suum agnoscat: & affectum inflammandum, ut odire possit. Propter quod Propheta de Deo loquens, ait, (Psal. 103.) Qui respicit terram, & facit eam tremere. Multum certe Dei in nos aspectus valet: qui simul ut terram cordis nostri aspicit, eam tremere facit. Hic est enim, qui ovem perditam perducit ad eulam, & non alius. (Luc. 15.) Hic est qui vulneratum à latronibus & spoliatum, misericorditer ad stabulum perducit, & stabulario, suis expensis erandum tradit. (Psal. 103.) Hic solus est, qui sanat omnes infirmitates nostras: qui propiciatur omnibus iniquitatibus nostris. Hic solus est, de quo ait Job. (cap. 25.) Deus molivit cor meum, & omnipotens conturbavit me. Quis enim alius cordis duritiam mollire possit, nisi ille, cuius passio petras scidit? Mollit Deus cor hominis, cum illud aptum facit ad eruditionem, & correctionem: quoniam id quod molle est, facile penetrari potest: quod autem est durum, difficillime penetratur. Deus ergo mollit cor nostrum, ut inspiraciones ejus, & verba prædicationum, & correctiones prælatorum illud penetrare valeant. Tunc cor nostrum conturbatur, cum ex timore imminenti iudicii in melius commutatur. Solus ergo Deus est qui cor nostrum emollit, solus qui conturbat nos. Solus ille est, cuius patientia nos ad penitentiam ducit. Solus eriam, qui penitentiam donat. Nam beatus Paulus docet, penitentiam esse donum Dei, cum in posteriore ad Timotheum epistola (cap. 2.) admonet, ut cum modestia corripiamus eos qui resistunt veritati, nequando det illis Deus peniten-

tiam ad cognoscendam veritatem. Ex quo Pauli loco, beatus Augustinus in enchiridio, cap. 82. colligit: quod non solum cum agitur penitentia, sed etiam ut agatur, necessaria est Dei misericordia. Et hæc est misericordia illa, de qua Propheta in quinquagesimo octavo Psalmo ait, Misericordia ejus prævenit me. Nihil enim est in peccatore, à quo bonum verum prodire possit, quare eget Dei misericordia, quæ illum ad bonum excitet. Antequam ergo peccator peniteat, misericordia Dei prævenit eum. Verum multi penitentia ducti sunt, sed infructuosa, quorum penitentia reprobatæ est, sicut & culpa: quoniam sicut nonnumquam peccatori speranti, diabolus penitentiam tollit: ita penitenti, spem penitentiæ admittit. Judas enim, qui Christum tradidit, peccati sui penitentiam gessit: sed veniam non obtinuit, qui à eam non speravit. Sic enim de illo Evangelista loquitur. (Matth. 27.) Tunc videns Judas quæ eum tradidit, quia damnatus est, penitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus, dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in templo, recessit, & abiens, laqueo se suspendit. Merito quidem penituit: quia peccavit tradens sanguinem justum: sed ideo fructum penitentia non est assecutus: quia peccatum traditionis suæ, ipso quem tradidit, non speravit sanguine diluendum. Si dixisset ex animo, peccavi, misereere: paratus erat Deus ad miserandum, sicut misertus ex David: quia in Dei misericordia totam suam spem fixerat, & ideo dicebat. (Psal. 142.) Audiam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi. Propter quæ causam, oportet nos cum Propheta orare, & dicere, (Psal. 59.) Commovisti terram cordis mei, & conturbasti eam: sana contritiões ejus, quia contrita est. Salubris autem penitentia, duplici ratione consistit: si videlicet, nec penitentia deferat sperantem, nec spes deferat penitentem: ac per hoc ex toto corde renuntiet peccato, & toto corde spem remissionis figat in Deo. Sicque faciens peccator, quarta tunc sequetur Dei misericordia, quæ illum penitentem misericorditer suscipit, ut in illorum numero inveniat de quibus Psalmista ait: (Psal. 31.) Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum repta sunt peccata. Hæc magna est misericordia, quoniam qui iubens à Deo recessit, dignus erat, ut cum rediret, non reciperetur, etiam si peccatum illi dimitteretur. Non enim natura ipsa consequitur, ut is cui peccata dimissa sunt, sit ipso jure remissionis in amicitia gratiam receptus. Posset namque Deus unum ab altero separare, ira videlicet, ut peccata dimittat, nec tamen gratiam concedat. Sic enim ab hominibus factitari, experientia docente, agnovimus. Nam idem David Rex, qui peccatum suum nunc deplorat, & misericordiam petit, Absaloni filio delictum homicidii hæc lege remittit: ut faciem illius non videret, nec ante illius conspectum veniret. (3. Reg. 4.) Deus autem non sic: quoniam via illius, ut ipsemet ait, (Esai. 55.) non sunt sicut viæ nostræ. Magna proinde misericordia Dei est, qui peccatori, digne (ut decet) penitenti, & peccata condonat, & gratiam deinde largiens, illum in domo sua recipit: & hoc non semel aut iterum tantum, verum etiam si millies peccaverit. Inter homines contingit aliquando, ut is qui ignoscit, ex metu condonet injuriam, aliquando etiam si velit, ulcisci non potest. Deus autem, qui solo nutu potest perdere quotquot velit, quoties à nobis offensus fuerit, spretus & abnegatus toties tolerat, invitat, recipit, & amplectitur. Nulla est peccatorum multitudo, cui non sufficiat divina misericordia.

Nul-

viunt. Nonne hæc & multo plura faciunt qui peccata sua non agnoscunt? qui scelera sua putant esse virtutes? Rident, exultant, ducunt in bonis dies suos: tamquam si incolentes essent: facerentis admonitionem non patiuntur: corrigi se ab alio non sinit: in prædicatores faciunt: parentibus non obediunt. Nullam denique medicantis manum admittunt: quæ omnia ex ea radice oriuntur, quia videlicet se ægrotare ignorant: peccatum suum non agnoscunt: quo fit, ut pristinæ incolumitati non possint restitui. Propter quod in alio quodam Psalmo Propheta ait (Psal. 37.) *Corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.* Ac si diceret. Quia enim tam insipiens fui, ut peccatorum meorum cicatrices non agnoscerem, præteritis nova addidi peccata: sicque factum est, ut nulla illis profuerint medicina: sed jam putauerunt & corruptæ sunt cicatrices peccatorum meorum. Non ob aliam causam Dominus Jesus Civitatem Hierosolymam à longe aspiciens fleuit super illam (Luc. 19.) nisi quia non agnoscebat peccata quæ commiserat, nec cognovit tempus visitationis suæ, latebant que illam malorum chiliades quæ illi superventuræ erant. Miseretur itaque pietissimus Dominus illius, tamquam pharæetici, qui sui non miseretur, eo quod morbum suum non agnosceret. Quod autem peccator non agnoscat peccatum suum, sed potius contra, putet esse virtutem, inde (ut æstimo) evenit, quia suis peccatis est nimium affectus, illa ardentem diligit. Nam (ut ait Job, cap. 6.) *anima esuriens etiam amara dulcia esse videtur.* Quod autem quisque diligit, illud putat esse bonum: quoniam affectus si vehemens est, trahit ad se iudicium rationis, adeo, ut intellectus velut improbus consul de illa recenseat, prout voluntati placere cognoverit: & qui voluntati consulere debuisset quid illi agendum sit, eandem ipsam consulit voluntatem, qualem sit ipse censuram dicturum: quo fit, ut voluntas non ex iudicio rationis, sed ratio ex arbitrio pendat voluntatis. Et ex hoc immodico rerum amore evenit, ut quæ turpia sunt, pulchra nimis videantur amanti. Quo fit, ut nullus sit, qui rebus suis non delectetur, nullus qui suis liberis, suis artibus, sua patria, suis operis, non habeat. Neminem tam modestum, tam oculatum invenies, qui in propriis rebus æstimandis sæpissime non hallucinetur. Sed parvus hic esset error, parumque noxius, si illa immodica philantia his finibus contenta esset, & non amplius grassaretur. Verum eo usque progressa est, ut vitiiis suis blandiatur, & illa sæpissime virtutum nomine donare nitatur. Plerumque enim in ulciscendis vitiiis crudelitas exercetur, & iustitia reputatur. Sæpe immoderata ira zelus dicitur, & cum peccatoribus (juxta Pauli consilium 2. Tim. 2.) cum modestia corripere debuissent, ut aliquando resipiscant, severa nimis increpatione franguntur. Sæpissime dissoluta remissio, quasi mansuetudo ac misericordia iudicatur, & ita cum peccantibus, plusquam misericordia permittit, indulgent, crudeliter nimis pro æterno supplicio pœnas servant. Non nunquam tenacitati, parcitatis nomen tribuitur: quo fit, ut accepta retineantur, etiam cum distribui deberent egenibus. Aliquando malorum pertinacia, constantia prædicatur: unde sæpe venit, ut dum mens à malitia sua flecti non paritur, quasi ex recti defensione gloriatur. Aliquando inconstantia tractabilitas dicitur: & quo quisque fidem integram nulli servat, eo amicum se omnibus æstimat. Plerumque timor humilitas censetur: & dum mundano timore dejectus quisque ad defensionem veritatis tacet, arbitratur quod humilem se aliis exhibeat. Aliquando vocis superbia libertas iudicatur: & cum per elationem

veritati contradicitur, ipsa loquendi procacitas, veritatis defensio reputatur. Cum ergo vitia ipsa peccator, putet esse virtutes, nunquam illorum poenitebit, nunquam de illis se coram sacerdote accusabit. Propter quod in libro Job, cap. 20. scriptum est. *Cum dulce fuerit malum in ore ejus, abscondet illud sub lingua sua: parcat illi, & non derelinquet illud.* Os mentis nostræ cogitatio est, sicut in quarto psalmo dicitur. *Qua dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.* Dicitis, postuit pro cogitatis. In hoc ore dulce est malum, cum illud obsecutus intellectus iudicat esse bonum. Cum malum sic est dulce, abscondet illud sub lingua sua: celabitque in gutture suos quia videlicet nunquam de illo se coram sacerdote accusabit.

Non enim verisimile est, ut quis de ea re se accuset, quam putat esse bonam. Quo fit, ut illius etiam non poeniteat, neque illius vindictam sumat. Propter quod subditur. *Parcat illi, & non derelinquet illud.* Parcat (inquam) quia non hoc in se punit. Et (ut nihil consummate nequitie desit) sædus amicitie sempiternæ cum ipso peccato init, & ideo subiungit. Et non derelinquet illud: quia magis illud esse bonum putat, eo magis illi adherere nititur. Propter quod in Threnis cap. 4. Hieremias de illis, quorum facies super carbones denigrata est, loquens ait. *Non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum osibus, aruit, & facta est quasi lignum.* Platearum nomine in scriptura facta, sæpe latitudo malitiæ designatur: (Matt. 7.) *quoniam lata est porta & spaciosa que ducit ad perditionem.* Hæ sunt plateæ, per quas ille nostrarum animarum caelestis sponsum, summa etiam cum diligentia quæsitus invenire non potuit: (Cant. 3.) quoniam ille in via peccatorum non stetit. (Psal. 1.) In capite harum platearum dispersi sunt lapides sanctuarii: (Thi. 4.) quia sæpenumero hi, qui ad ornamenta Ecclesie internis mysteriis quasi in secretis sanctuarii vacare debuerant, secularia negotia expetunt, & vitia quaque non minima amplectantur. Sed in his plateis non sunt cogniti, quia etiam cum in via vitiorum latissima existant, in angusto tamen virtutis calle se stare putant, unde subditur. *Adhæsit cutis eorum osibus.* In osse duritia fortitudinis: in cute vero, mollities designatur infirmitatis. Cutis ergo osibus adhæret: cum infirmitatis vitii, fortitudo virtutis iudicatur. Mollia nimis sunt quæ faciunt, sed suorum operum cæco nimium amore decepti, fortia valde esse putant: unde evenit, ut quo meliora illa esse censent, eo magis de illis emendari contemnunt. Propter quod merito subiungitur, *Aruit, & facta est quasi lignum.* Culpæ enim eorum tanto insensibilior redditur, quanto apud eos etiam laudabilior haberetur. Et ideo illam aridam asserit: quia nulla sui cogitatione virefcit. Vides ad quor incommoda nos ducat nostrorum peccatorum ignorantia. Quæd si morbum suum jam agnoscere peccator incipiat, maximam inde suæ salutis spem capere potest. Nam & hoc ipsum argumentum est in melius translatis animi: quæ vitia sua, quæ adhuc ignorabat, videt. Nullus est enim adeo suæ salutis contemptor, ut cum se ægrotare cognoverit, medicum illi gratis subvenire paratum libentissime non suscipiat, & remedia ab illo decreta; extensis (ut ajunt) ulnis non amplectatur. Sic etiam nullus est, qui peccatum suum probe agnosceret, de illo non se accuset, & illius poeniteat, nisi suæ salutis immemor fuerit. Quod si eum commissi criminis poenitet, necesse est, ut pristinæ incolumitati sit statim restitutus: quoniam poenitentia antidotum quoddam est efficacissimum & præsentaneum ad quod-

quodvis peccatum quamlibet etiam mortiferum depellendum. Hinc est, quod Adam peccante, Dominus illum in paradiso perquirat, & causam eum inobediens fuerit petit, ut vel sic illum ad peccati confessionem urgeret, sciens illam esse viam certissimam ad salutem recuperandam. Ob hanc causam Cain perierit absque ulla salutis spe: quia de crimine, quod in fratrem fecerat, à Deo quæsitus, noluit illud fateri, sed superbe illud occultare voluit Deo, dicens. (Gen. 4.) *Numquid ego custos sum fratris mei?* Si peccatum suum cognovisset, & illud coram Deo, qui omnia novit, fuisset confessus, & illud coram Deo, qui omnia novit, fuisset confessus, dicens: Peccavi: Dominus pietissimus statim donasset illi hanc noxam, quamvis crudelissimam. Qui peccata sua fateri contemnunt, aliqua futile excusatione illa palliantes, confuunt folia ficus ut faciant sibi perizomata, quemadmodum Adam & Eva. Petrus agnoscebat crimen abjuratæ veritatis, & statim flet amare, & pastor ovium insituitur. Paulus agnoscebat crimen blasphemie, & vas electionis, & doctor gentium efficitur. (1. Tim. 1.) Magdalena agnoscebat (non tantum) sed multa quæ habebat peccata: (Luc. 7.) propter quod stat retro secus pedes Domini: velut quæ suam agnoscentem fœditatem & turpitudinem, non audeat in conspectu Dei apparere, & ideo audire meretur: *Remittitur tibi peccata tua.* Iatro in cruce agnoscebat peccatum suum, dicens: (Luc. 23.) *Nos digna factis recipimus:* & deinceps misericordiam petens, dixit. *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum:* quia peccatum agnovit, misericordiam quam petiit, impetravit, cum dictum est ei. *Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso.* David peccatum suum agnoscebat, dicens. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Tu ergo si peccasti quicumque ille sis, quanto quoque peccato, aut peccatorum numero pressus fueris, agnosce peccatum tuum: dic, Peccavi, miserere, & statim misericordiam consecutus sublevareris. Verum hic admonitio opus est, ut intelligant peccatores, non eos omnes vere peccatum suum agnoscere, qui se peccasse ore fatentur. Sunt enim (heu) multi, qui cum se peccasse ore dicunt, corde tamen negant, sicut de aliis beatus Paulus ait. (Tit. 1.) *Fatentur se nosse Deum, factis autem negant.* Signa autem veræ cognitionis & confessionis sunt hæc, videlicet, si paratus est iustam pro crimine subire poenam, si arguentem & corrigentem peccatum quod commisit, patienter sustinet: quod si hæc facere renuit, argumentum est, illum nondum suum crimen agnoscere: quoniam si bene agnosceret, antidotum non contemneret. Et (ut rem istam plene confirmemus) proponamus in exemplum, Saulem Regem, qui de peccato inobediencie à Samuele Propheta reprehensus, dixit, (1. Reg. 15.) *Peccavi, nec tamen exaudiri meruit.* Quare Saul non audit à Samuele, sicut David audivit à Nathan Propheta, *Dominus transulit peccatum tuum à te?* (2. Reg. 12.) Numquid Deus acceptor est personarum, ut æque laborantibus, non æqua mercede donet? Absit. *Non est enim personarum acceptio apud Deum, qui omnium miseretur, & dissimulat peccata hominum propter poenitentiam.* (Rom. 2.) Quod Saul veniam non impetravit, inde evenit, quod ille non ut decebat peccatum suum agnovit: quia illa sui peccati confessio plus superbie, quam humilitatis habet: eo quod poenam sibi à Deo indictam patienter sustinere noluit. Nam cum illi Samuel Propheta insinuasset Dei irrevocabile decretum, dicens. (1. Reg. 15.) *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Porro triumphator in Israel non parcat, & poenitudine non flectetur, neque

enim homo est ut agat poenitentiam. Tunc dixit Saul. *Peccavi. Sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel.* Ac si dixisset. Honora me sicut Regem, ut ego præcedam velut Rex, & tu sequaris, ut adorem Dominum Deum tuum. Deus illum propter peccatum regno privabat, & regni solio deiecit: sed hanc poenam Saul pati renebat, dicens. *Peccavi. Sed honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel.* Ac si diceret. Peccatum fateor: sed poenam, quam infligis, sustinere nolo. Verecundiam siquidem passus, & superbia elatus, renebat honores amittere: quapropter misericordiam, quam petiit, non meruit obtinere. Quisquis enim sub specie confessionis humanos adhuc honores amittere timeret, iste indulgentiam, quam ficta humilitate postulat à Deo, adipisci non valet. Confessio enim, quam elatio mentis comitatur, veniam impetrare non meretur: quo fit, ut is, qui in conspectu hominum de peccato reprehendi refugit, veniam, quam à Deo impetrare poterat, à semetipso excludat: quia peccatum suum se non cognoscere convincitur, qui de illo coram aliis reprehendi non sustinet. Nam si cognovisset, acceptaret utique correctionem, quæ optima est peccati medicina. Quia ergo Saul correctionem non sustinuit, peccatum non agnovit: quoniam: quoniam & si ore confessus esset dicens, Peccavi, corde tamen se peccasse negavit. Quod ex eo facile conjici potest, quod cum à Samuele increparetur, quare vocem Domini non audierit, ex ipso fastu superbie respondit, dicens. *Immo audivi vocem Domini, & ambulavi per viam, per quam misit me Dominus.* Malum enim supra malum adiecit: quia culpam suam non solum agnoscere dedignatus est, sed etiam superbiendo defendere studuit, & defendendo accumulavit. David autem non sic, sed reprehensus patienter tulit, peccatum suum agnovit: quoniam illud humiliter confessus est, pœnas illi à Deo decretas non recusavit: immo patienter & grate amplexus est. Tu ergo si peccasti, & veniam impetrare optas, peccatum tutum agnosce, illud confiteri non erubescas. Scies autem te bene cognoscere peccatum tuum, si correctionem sustines. Si pœnas meritis pro peccato solvere fatigis. Si cum aliquis peccatum tuum tibi objicit & impingit, non recusas, non ob hoc irasceris, prout faciunt multi, qui cum sua fateantur peccata, ab aliis sibi objici non patiuntur, sua quidem vulnera velut canes lingunt, alium tamen canem ad ea lingendam accedere non permittunt, unde colligitur falsa eos humilitate peccata sua fuisse confessos. Nam si tunc cum peccatum suum confitentur, peccatores se esse veraci humilitate cognoscerent, cum arguuntur ab aliis, patienter sustinerent, & quod confessi prius fuerant, se esse postea per impatientiam non negarent. Iudicium ergo veræ confessionis est, si cum quisque se peccatorem fateatur, alium hoc idem illi dicentem patienter tolerat. Quia enim (ut ait Sapiens) (Prov. 18.) *iustus in principio accusator est sui:* iustus videri appetit quicumque se, nullo arguente, de peccato accusat: sed an vera fuerat confessio, inde probatur, si altero malum quod factum increpante, palinodiam non cantamus, si increpati non contradicimus. Nam si superbe recludamur, convincitur fictam fuisse nostri peccati confessionem. Tu ergo agnosce peccatum tuum, & si quis objecerit, patienter sustine, correctionem admittite, pœnas debitas persolvere non refugas, & sic tibi agnoscenci facile Deus peccata condonabit, & gratiam præterea tribuet, qua vitam promeraris æternam.

HOMILIA VII

Et peccatum meum contra me est semper.

Variam hic versiculus suscipit interpretationem juxta varias significationem hujus vocis, contra, quæ præter vulgarem & tritam significationem, qua dissidentiam significat, aliquando significat loci situm, & valet tantum, sicut è regione, vel ex opposito, aut coram; sic Virgilius capit in primo Eneid, dicens.

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenueri coloni,

Carthago Italiam contra, &c.

Et in Evangelio Matthæi (cap. 2.) dicitur. *Ita in castellum quod contra vos est.* Contra vos est, id est, coram vobis. Ex juxta hanc significationem magis, ego crediderim illam vocem hoc loco accipi, propterea quod alia translatio, videlicet beati Hieronymi, hanc vocis amphibologiam evitans, sic habet. *Et peccatum meum coram me est semper.* Ad eundem modum transferunt alii, qui de lingua hebraicæ congnitione gloriantur, prout est, Pagninus Lucensis, Joannes Campensis eundem sensum reddit, aliis tamen verbis. Sic enim transulit. Et peccatum meum nunquam excidit mihi. Quæ omnes translationes huc tendunt, ut David his verbis dicat, tam assiduam esse sui peccati congnitionem, ut peccatum suum ob oculos suos semper cognoverit sibi. Ait ergo. *Et peccatum meum contra me, vel coram me est semper.* Hoc est, semper cogito qualiter te offenderim, ut ipsa offensæ cogitatio me humiliet. Nam quo magis homo agnovit bonum quod amisit, eo majorem habet occasionem lugendi propter illud. Hinc Sapientis ait. (Eccle. 1.) *Qui apponit scientiam, apponit et dolorem.* Quia quanto plus peccator cœperit scire bonum quod perdidit, tanto plus lugere incipit malum quod invenit. Considerat namque gaudia cœlestis patriæ, divitias illius, ubertatem, satietatem, lucem, & vitam denique perpetuam, quæ omnia per peccatum amisit. Deinde despectit, ut consideret quo dejectus est, & ubi jacet, & videt quanta arctetur mentis tristitia, quanta sit paupertas, quanta tenebræ, quanta turbatio. Demum tendit oculos ad futura quæ imminent tormenta, ubi lucus sempiternus, fames sitis, tenebræ, confusio, mors denique sempiterna. Cum hæc omnia conspiciat, bona videlicet quæ amisit, & mala quæ invenit, acerbe luget: quoniam ipsa congnitio materiam luctus subministrat. Tantaque est tristitia quam ingerit menti congnitio boni per peccatum amisit, ut nulla eam temporalis consolatio possit sublevare. Propter quod David in tribulatione constitutus, & elongatus se à Deo conspiciens, in septuagesimo sexto Psalmo ait. *Renuit consolari anima mea.* Sed quare tanto merore conficitur, ut nullam consolationem admittat? Numquid primogenitus hæres regni oblit? Aut charissimus conjux defuncta est? aut regni solio dejectus est? Nihil horum. Quid ergo? Audi. Tribulationem qua premebatur, exprimit in ipso Psalms initio, cum ait. *Vox mea ad Dominum clamavi.* Clamare eo tempore necessarium est, cum longe est ille qui clamat. Cum ergo se clamare ait, testatur se propter peccata sua elongatum esse à Deo. Et propter hanc causam tanto afficitur tædio, ut dicat. *Renuit consolari anima mea.* Nam plerumque hujus sæculi divites solent mentis tædio affecti, divitias suas, quibus affluunt, conspiciere, ut harum rerum aspectus tristitiam delinire valeat. Cum enim merore quodam premi se sentiunt, equos aspiciunt, ut eorum contemplatione

obortum animæ merorem vincant. Sed Propheta qui ideo luget, quia ab æternis gaudiis se cecidisse cognoscit, consolationem de rebus temporalibus non suscipit: dicens. *Renuit consolari anima mea.* Ac si expressius dixisset. Qui de temporalium rerum amissione non lugeo, de temporalium rerum abundantia consolari nequaquam valeo. Sed numquid est tædium hoc tuum immedicabile vulnus: ut nulla illi valeat consolatio mederi? Non certe: quum memor fui Dei & delectatus sum. Consideravi mansuetudinem ipsius, pietatem & misericordiam, & hujusmodi contemplatione, & suæ bonitatis memoria delectatus sum. Vides quantum efficiat in peccatore sui peccati aspectus, qui tantum illi ingerit dolorem, ut nulla eum temporalium rerum consolatio possit lenire. Hinc est quod Adam ejectus de paradiso, (Gen. 3.) è regione ipsius paradysi collocatur à Domino, quamquam hoc in vulgari nostra editione non reperitur. Verum septuaginta hoc referunt, in quorum translatione ita habetur. Et emisit eum Dominus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est, & ejecit Adam, & collocavit ante paradisum voluptatis, & posuit cherubin, & flammeum gladium versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ. Quo in facto, Dominus misericordiam suam & pietatis argumentum ostendit: quoniam etsi Adæ poenam intelligit, illum à paradiso eiciens, hanc tamen ipsam poenam ad suam utilitatem dirigebat. Nam quod illum contra paradysum habitare facit, huc tendit: ut ille perpetuam doloris materiam haberet: quotidie cogitans unde exciderit, & in quem statum se dejecerit. Et quamvis gravissimi doloris spectaculum erat, ansam tamen magnæ utilitatis præbebat: ut videlicet ille perpetuus aspectus cautiorem illum in posterum faceret, ne iterum in similia prolaberetur peccata. Sæpissime enim evenit, ut qui bonis acceptis frui nesciens, factus est deterior, eorum privatione respiciens emendetur: quoniam experientia sentire incipit suam desidiam. Quod ergo ante paradysum Deus Adam collocavit, magnæ misericordiam, & illius curæ symbolum fuit: ut continuo aspectu memor esset unde exciderat, & lucrum inde per continuum dolorem faceret. Hoc etiam figurat statua illa, quam Nabuchodonosor Rex vidit per somnium, cuius caput ex auro, pectus & brachia de argento, venter & femora de ære, tibiae ferreæ, pedum quædam sicilis. Hæc autem statua stabat coram Nabuchodonosor, ipsamque contuens Nabuchodonosor, territus est. Hæc statua illorum vitam designat, qui à statu virtutis, in vitia magna paullatim prolapsi sunt: quod facile est agnoscere, si statuae initium, media, & finem diligenti investigatione consideremus. Valde quippe distat aurum & testa: unum alteri multum interest. Ex auro incipit, in testam desinit. Sic etiam sæpe contingit, ut is qui in culmine virtutum fuit olim, parva postmodum negligens, in maxima vitia sit dejectus. Ex capite aureo ad pedes testos devenitur. Per aurum, quod cætera metalla valore & splendore excedit, intelligitur charitas: quæ (teste Apostolo 1. Corinth. 13.) reliquas omnes superat virtutes. De quo auro dicitur in Apocalypsi. (cap. 3.) *Suadeo tibi emere à me aurum, ut locuples fias.* Charitate namque locupletamur, quam precibus & gemitibus à Deo emit peccator. Et quia charitas hæc major & perfectior viget in beatis quam in iustis in hac vallis miseria existentibus, dicitur in Apocalypsi, (cap. 21.) de illa superna Hierusalem, quæ juxta Paulum est mater nostra, quod sit civitas ipsa aurum mundum. Quia charitas, quæ in hac vita habetur, quamlibet sit repurgata, semper habet admixtam quandam peccatorum

venialium scorum (dicente beato Joanne in sua canonica (cap. 1.) *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Charitas vero, quæ iusti se in patria diligunt, nihil habet hujusmodi scoria admixtum, & ideo hæc ipsa civitas aurum mundum dicitur. Per argentum, eloquentia, aut doctriinæ claritas figuratur: juxta id quod in undecimo Psalmo dicitur. *Eloquia Domini eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum septuaginta.* Caput aureum in peccato descendit argenteum: quia multi principia habuerunt optima fervorem charitatis tenebant: sed charitatem ipsam amittentes, solam bonam elocutionem conservarunt: opera reliquerunt, verba virtuosa retinent: cum de virtutibus loquuntur, tamquam pluitati verba formant, qui cum opere non possunt, verbo solo, hominem imitantur. Sed hoc ipsum verbum argenteum in æreum paullatim descendit: cum id quod prius ex veritate loquebatur, aura solum populati quod ductus, ex sola vanitate loquitur, ut gloriolam quandam inde captare possit. Prius enim ideo loquebatur, quia etsi ipse à via declinaverat virtutis, cupiebat tamen alios errantes ad rectam viam reducere. Nunc vero salutis alienæ immemor perinde ac suæ, hoc solum curat, ut hominibus placeat. Talis igitur æris more, suaviter sonat exterius, sed voluntatis malignitate pallescit interne: æs namque argentum imitatur in sonno, sed multum argenti interest in colore & pretio. Sed cum hæc ipsa mala, quæ occulto faciebat, prodierint in publicum, ut jam revelata sit ignominia sua, & vitium fuerit opprobrium suum: tunc quidem factus velut frons meretricis, jam virtutes ipsas quas non operatur, laudare desinit: & (quod magis dolendum est) eas ipsas vituperare non cessat: & qui prius de virtutibus carmina lyra cantabat, nunc satyram agit, sicque faciens, æs diminuit usque ad ferrum. Ferrum namque omnia comminuit & domat metalla, & talis est maledicentia, quæ omnia bona sic conterit, ut in aestimatione hominum adeo parva appareat faciât, ut vitia judicentur. Sed qui tam audaces sunt ad mala inferenda, isti sæpissime pusillanimes sunt ad ea toleranda, & qui faciles sunt ad injurias irrogandas, iidem dissimiles supra modum sunt ad eas patienter sustinendas. Et ad hunc modum ex ferro devenit ad testam. Testa enim quum facile frangitur, impatientiæ fragilitatem aptissime significat. Ecce in quem finem desinit statua, quæ initium suum ceperat ab auro. Sic multi vitam suam auspiciantur à virtutibus, & tandem in turpissima vitia desinunt. Hoc est quod Hieremias in Threnis (cap. 4.) plorat, dicens. *Filii Sion inelyti, & amici auro puro, quomodo reputati sunt in casa testea opus manuum figuli?* Qui enim prius religiose agere, & charitate fervere solebant, nunc nimium tepidi, remissi, in voluptatis cæno volutantur. Vasa enim testea facti sunt: quia voluptuosi, quia impatientes facti sunt. Utrumque enim in testa figuratur, quoniam testa sicut fragilis, ita & contemptibilis est. Quid autem voluptate contemptibilis? Quid impatientia fragilior? Talis est ille, qui in stercore rerum mundanarum jacens vilescit, & minima quaque tribulatione frangitur. Ecce statua. Ecce vitæ ordinem, quæ optimum habens initium, in pessimum desinit finem, à virtutis culmine in vitiorum profundum descendit. Sed hæc statua contra Nabuchodonosor stabat, ut videlicet per aspectum illius humilietur, & sua superbia confundatur. Tunc enim coram unoquoque nostrum hujusmodi statua erigitur, quando nostris oculis peccati fecditas & calamitas ingeritur, ut hæc contemplatione unde, & quo dejectus sit, agnoscat: & sic per hujus-

modi aspectum nostra impudentia compeccatur, dejiciatur superbia, duritia coneratur. Hæc statua contra David stetit, quando illi peccatum suum per Natham Prophetam ostensum est. Caput enim aureum habebat: cum humilis, castus, mansuetus, injuriarum immemor, contemplationi deditus fuit. Sed tandem caput aureum in pedibus testis finitur: quia à tanto virtutum culmine, ad adulterium & homicidium descendit: qui prius hosti Sauli pepercit, postea fidelissimo militi Uriæ non parci. Quanta dissimilitudo inter caput aureum & pedes testos, tanta est inter David in spelunca parentem Sauli, & eundem postea nocentem Uriæ. Verum hæc ad aliorum cautelam, non ad exemplum dicta sunt: ut videlicet, qui se existimat stare, videat ne cadat. Et si caput aureum in pedes desinit testos, quem finem putas habiturum caput habentem testem? Ut autem hæc statua ante oculos Davidis semel collocata fuit: nunquam ab ea Rex oculos suos averit, sed in eam defixis oculis jugiter intendebat. Et hoc est quod ait. *Et peccatum meum contra me est semper.* Semper in id oculos mentis intendit, ut ejus fecditatem agnoscat. Cur autem hoc faciat, in septuagesimo quinto Psalmo expressit, dicens. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliqua cogitationis diem festum agent tibi.* Prima cogitatio id de peccato, de fecditate, de turpitudine, de malitia illius, & ex hac cogitatione superfluit semper quædam reliquiæ, videlicet odium displicentia, detestatio. Nam (ut est apud quemdam Prophetam) (Naum. 3.) *omnis qui viderit te, respiciet à te.* Quisquis enim probe (ut decet) peccati multatiam agnovit, nisi mentis inops, ab illo tamquam à profundo puteo respiciet, & velut à poculo venenato abstinebit. Reliquiæ ergo, quæ de cogitatione peccati superfluit, sunt peccati odium & displicentia. Et hæc diem festum agunt Deo: vel (ut alia translatio habet) *solemnia celebrant Deo.* Quale autem sit hoc festum expressit pater benignus, qui filium de passo porcorum & fame redeuntem recipiens, ait. (Luc. 15.) *Manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit: perierat, & inventus est.* Grande nimis & magnificum festum faciunt hæc cogitationis reliquiæ: cum in calo fiat magnum gaudium super uno peccatore penitentiam agente. (Luc. 15.) Quia ergo David cognoscit quantum lucrum sibi facere possit hæc peccati cogitatio, ideo nunquam hæc cogitatio excidit sibi, semper defixis in peccatum oculis intendit, ut nulla rei familiaris dispensatio, aut regni administratio ab hujusmodi cogitatione illum avocare poterit, ideo ait. *Et peccatum meum contra me est semper.* Meum, inquam, non alienum: ego enim non sum talis, ut me despecto, aliena curem. Non projicio peccata mea post tergum, ut aliena ante oculos meos habeam. Nolo trabem in oculo meo pati, ut festucam de oculo alieno ejiciam: (Matth. 7.) prout sunt (heu) nimium multi, qui sui oblit, alios intuentur. Nam hoc potius est accumulare peccata & augere, quam minuire. Me ipsum solum considero nec mihi ipsum satis, nisi Deus me docuerit. Ideo peccatum meum semper coram oculis meos statuo, ut per continuum aspectum, continuo doctior fiam. Et si quid forte malitiæ est in peccato, quod hodie oculos meos subterfugit, crastina die videre possim: quod crastina dies ignoraverit, sequens alius dies me doceat. Semper ergo cogitationi peccati insistam, ut semper cognitio crescat, quæ me quotidie ad peccati detestatiorem vehementius sollicitet, & impellat. Hanc erga sui peccati jugem memoriam, nunc pro se David in argumentum sumit, ut justitia interveniente, Deus misereatur

illius. Nam per Prophetam Esaiam (cap. 43.) Dominus ait. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero. Tu autem memor esto, & iudicemur.* Ecce qua conditione, iniquitatum peccatoris se immemorem pollicetur: videlicet, si ille memor fuerit, David ergo pactum admittit: conditionem offert, dicens: *Et peccatum meum contra me est semper.* Promissum exigit, dicens: *Miserere mei.* Cave ergo ne peccatorum tuorum immemor existas, ne projicias ea post tergum, sed ante oculos ea statue: ut eorum malitia perspecta, ea plenius detestari valeas: & sic projiciat ea Deus post tergum suum, & miserebitur tui Jesus Christus filius Dei, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA IX.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci.

Justum est, ut quisque ab illo veniam petat, cui injuriam intulit. David qui a solo Deo misericordiam postulavit, causam cur id faciat, nunc prodit, dicens: *Tibi soli peccavi.* A te solo peto misericordiam: quia te solum me offendisse cognosco. Sed hic scrupulus urget non parvus, quomodo verum esse potest, ut in solum Deum peccasse dicatur, qui innocentem interfecit, & adulterium commisit? Nonne hoc etiam est peccare in proximum? In hujus versiculi expositione varie defudatum est à diversis. Nam alius aliam reddit interpretationem.

Et licet quælibet earum vera sit, nescio tamen an eorum aliqua sit satis literæ conveniens, & quæ vere & plenè literæ sensum reddat. Nam Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, Gregorius, Casiodorus, qui omnes hunc psalmum interpretantur, & eorum aliqui specialibus de hoc psalmo libelis editis (omitto alios, qui digni non sunt ut cum his vel ex longinquo conferantur) concordia sententia exponunt hunc locum dicentes, ideo David soli Deo peccasse, quia solus Deus sine peccato est: solus qui peccata judicat: solus qui punire & parcere potest. Alii quidem homines, qui regi subduntur, peccant regi & Deo, quia ab utroque puniri possunt: & utriusque mandatum transgrediuntur. At rex qui soli Deo subditur, & ab illo solo corripitur potest, soli Deo peccat. Hæc quidem vera sunt, quia videlicet solus Deus regem punire potest, & quia solus Deus est sine peccato. An autem ideo soli Deo peccare dicendus sit, dubium mihi est: quoniam talem loquendi modum non memini me in sacris scripturis alibi legisse. Invenio quidem sæpe in sacris litteris dictum, hominem peccare in hominem. Nam Pharaon frustratæ fidei, quam filius Israel dederat penitens, eisdemque Israelitis loquens, ait. (Exod. 10.) *Peccavi in Dominum Deum vestrum: & in vos.* Ecce hominem, & quidem regem, qui in homines sibi subditos peccasse fatetur. Et tamen solus Deus punire poterat Pharaonem. Præterea in primo libro regum cap. 10. legitur. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Deum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Quamvis solus Deus sine peccato sit, hic tamen audis virum posse in virum peccare. Non ergo soli Deo peccare dicendus est homo, quia solus Deus sine peccato est, aut soli Deo peccare dicemus regem, quia solus Deus regem punire potest: cum regem in sibi subditum, & virum in sibi æqualem peccasse, ex sacris litteris pateat. Nisi forte, peccare Deo, quidam aliud sonet in sacra scriptura, quam peccare in Deum: quam verborum differentiam

(ut ingenue fatear) ego non video: cum absque ullo discrimine, unum pro alio in sacris codicibus positum, sæpissime reperiat. Sed si hæc præsentis versiculi expositio, quam tanti viri sanctitate perinde ac doctrina illustres comprobant, non placet, quid genoli mei tenuitas poterit excogitare, quod doctis viris vel aliqua ex parte placere possit? Adit ergo ipse Dominus, qui linguas infantum facit differtas, quique docet hominem scientiam: & illuminare dignetur intellectum meum, ut valeam intelligere, & differere, non quod hominibus placeat, à quibus probari non opto: sed quod verum & germanum literæ sensum exprimat, qui animarum salutem utcumque prodesse possit. Nec mirari quitquam debet, si nos aliquid in hunc locum contulerimus, quod à tantis viris fuerit prætermisum: quoniam (ut ait Paulus 1. Cor. 12.) *divisiones gratiarum sunt:* & (ut ait alius) Nihil ex omni parte beatum. Quod ergo Domino donante de hoc loco ex aliis scripturæ locis conjicere valeo, ita habet. David ideo soli Deo se peccasse asserit, quia solo Deo præsentem peccatum commisit: solus Deus fuit illius peccati conficius. Nam si de adulterio sit sermo, certum est Davidem nullis admisis testibus illud perpetrasse: cum ipse concubitus etiam conjugalibus, qui honestissimus est, res sit adeo verecunda, ut nullus sit, nisi insanus, aut demens, qui loca secreta non requirat, ut talem concubitum explere valeat. Homicidium fuit secretum: quoniam & si David dedit litteras ad belli præfectum, & ducem, ut Uriam in acie constitueret in loco minus munito, & magis hostibus pervio, ignorabat tamen, an forte propter Uriæ aliquod secretum scelus, justitia ita exigente, id fuisset rex jubere compulsus: secreto tamen ne forte si id publice, & præcone clamante fieret, commotio aliqua, aut tumultus aliquis exeritaretur, qui male sedari posset. Præterea peccatum quodlibet, plus pendet ex corde, quam ex opere. Nam ex hac sola ratione, opus aliquod censetur peccatum, quia ex malitia cordis prodiit. De corde enim (ut ait ipsemet veritas Matt. 15.) *exiunt adulteria, fornicationes, homicidia, furta.* Si ergo corde præcipue peccatur, coram solo Deo peccamus, cum solus ipse sit qui intuetur cor. Peccatum ergo David sic fuit secretum, ut omnes lateret: quod cum solus Deus sciverit, ideo ait: *Tibi soli peccavi,* hoc est, te solo conficio, te solo præsentem. Nam si alii hoc scivissent, illis etiam peccassem, quibus malo meo exemplo ruinæ occasionem præbuissem: quia tamen tu solus eras præfens cum peccabam, ideo tibi soli peccavi. Et hanc nostram interpretationem esse huic literæ germanam, apertissime ostendit id, quod Dominus per Natham Prophetam Davidi minatus est, dicens. (2. Reg. 12.) *Dabo uxores tuas proximo tuo: & dormiet cum eis in oculis solis hujus. Tu enim fecisti in occulto, ego autem faciam in conspectu totius Israel.* Ex quibus colligimus, publicam pœnam esse inflictam occulto crimini. Hoc ergo peccatum nunc ipse fatetur dicens. *Tibi soli peccavi.* Et hunc sensum verba sequentia inuunt, quibus ait: *Et malum coram te feci.* Ac si diceret, Tibi soli peccavi: quia malum coram te solo feci. Et hanc interpretationem innuere videtur Ambrosius, cum ait. Tibi soli peccavi, quem solum abscondita cogitationum & mentis occulta non fallunt. Et hic loquendi modus satis usitatus est in sacris litteris, ut ille dicatur peccare Deo qui peccat coram Deo: & ille dicatur peccare in hominem, qui peccat coram homine. Nam Propheta Baruc, peccatum filiorum Israel sub eorum nomine deplorans, cap. 1. ait: *Peccavimus Domino Deo nostro.* Et paucis interjectis eandem cantilenam repetens, ait.

Pec-

Peccavimus ante Dominum Deum nostrum. Ex quibus conjicere licet, idem esse peccare Deo, & peccare ante Deum. Satis notum est etiam illud quod apud Mattheum, cap. 18. Christus ait. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripue eum inter te & ipsum solum.* Quo loco constat concordari omnium sententia, peccare in fratrem, tantum valere, ac peccare fratre sciente. Cum ergo David ait, *Tibi soli peccavi,* idem est ac si diceret, te solo sciente, & te solo præsentem peccavi: quia coram te solum malum feci. Quæ Davidis verba magnum quoddam humilitatis insigne præferunt: quoniam illa verba in sui accusationem protulit, Dei præsentiam sibi ipsi obiciens: quæ sola sufficere debuisset, ut illum à peccato deterreret. Cum ergo ait, *Tibi soli peccavi & malum coram te feci:* huc tendit, ut dicat: vel hoc à peccato me deterrere valuisset, si considerassem, quod tu corameras, cum ego peccabam. Et merito hæc in sui accusationem ait David: quoniam magna cuilibet peccatori si dissimulare non vult, est indicta necessitas prohibitis: cum ante oculos agat iudicis cuncta cernentis. Nullus est enim homo adeo effrons, qui in plurimis peccatis non vereatur hominum præsentiam: quoniam cum peccato debeatur vituperium quemadmodum virtuti honor, & omnes à natura refugium vituperium & dedecus: hinc est, quod veremur ea coram hominibus facere propter quæ suspicamur illorum de nobis opinionem minuendam. Et tamen hæc est miseranda hominum cecitas, qui cum se invicem reverentur cum peccant, Dei tamen præsentiam nunquam reformidant. Forte ignorant divinos illos plusquam lynceos oculos cuncta prospicere: nihilque esse tam occultum, quod Deum latere possit. Aut si Deum cuncta scire credunt, suspicantur forte illum nostris peccatis non offendit. Aut illum adeo injustum censent, ut peccata impunita esse velit. Aut forte impotentem, qui etiam cum velit, punire non possit, existimant. Si credunt se posse divinos oculos frustrare, audiant quod in primo regum libro, cap. 10. dicitur. *Homines judicant quæ foris sunt, Deus autem intuetur cor.* Et divinus Psaltes, ait. (Psal. 7.) *Scrutans corda & renes Deus.* Scrutantem dixit, ut eum minutissima quæque cognoscere innuere: prout facitis, qui rem quamquam cum diligentia scrutatur, cui nihil est, etiam quamlibet parvum, quod non sit probe exploratum. Huic sententiæ Hieremias Propheta ex persona Dei subseribit, dicens: cap. 23. *Deus appropinquans ego, & non de longe Deus. Numquid latere quis poterit in absconditis, & ego non videbo eum? Et divina sapientia clamât se in profundum abyssi penetrasse: (Eccl. 24.) ut ostendat nihil esse tam occultum, quod illi non sit manifestum. Nemo ergo inde audeat peccandi sumat, quod putet peccatum suum fore secretum cum scelestis illis sensibus dicens. (Dan. 13.) *Ostia pomarii clausa sunt, nemo nos videt.* Nemo enim potest, sed nemoquid ideo nullus? Videt enim te Deus: videt te iudex ille, cujus tribunali te assidere oportet. Et si peccatum tale est, ut cordis latebras exeat, videt illud angelus malus, videt angelus bonus, videt accusator, videt testium multitudo. Nullus ergo hæc ratione securus sit, quod eum peccantem nemo videt: quia latet in insidiis, quos latere homo non potest: sicque latent, ut illos homo deprehendere non possit. Sunt tamen aliqui sicut lepus: qui (ut ajunt) dumetis caput infingens, dum videntem se non videt, se quoque reputat non videri. Quæ in re maxime falluntur: quoniam & si Deum nos non videamus, illum tamen latere non possumus. *Auris enim cæli audit omnia. Et qui fixit oculum**

ipse considerat. Nuda enim sunt illius oculis omnia. Vifus illius penetrabilior est omni gladio ancipiti: (Heb. 4.) quoniam ipsas non modo cernit, sed etiam discernit cogitationum vias, & medullas affectionum. Unde colligimus, ut tam insanum sit sub illis oculis vellet peccare: quam horrendum est incidere in manus Dei viventis. Et ob hanc causam: iudicium Dei tantopere formidabat Paulus, quia iudicia hominum pro nihilo ducebat, dicens. (1. Cor. 4.) *Mihi pro minimo est, ut à vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque me ipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum; qui autem iudicat me, Dominus est.* Vides quantum Deus juxta Pauli sententiam in cordibus nostris cognoscat: ut multa quæ nos ipsos latent, illi sint apertissima. Ob quam causam, etiam cum nihil sibi conscius esset Paulus, à Domino tamen iudicari pertimescit. Cum ergo peccatum aliquod committere tentas: aut cogitatio aliqua mala coram tuum pulsât, acque sollicitat, considera Deum esse præsentem, ut vel hac occasione, à quolibet peccato perpetrando revoceris, si forte Deum non times, & solus hominum vereris aspectus: memor esto hominem Christum, hominum facta minime ignorare, ut coram illo attentare non audeas, quod coram me profus non audeas. Alioqui si carnis oculum magis quam gladium, quem Dominus jam vibrabit, formidas: & id quod times evenit tibi, & accideret quod vereris. Nihil est enim opertum quod non sit revelandum in illa die iudicii, in qua illuminabit Dominus abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Tunc enim scrutabit Hierusalem in lucernis ardentibus. (1. Cor. 4.) Quid ergo tutum in Babylone, si in Hierusalem sit scrutinium? Si iustus vix salvabitur, iniustus ubi apparebit? (Soph. 1.) Nam hoc loco, quantum ego existimo, nomine Hierusalem, designatur iustus, qui in pace in id ipsum dormit, & animi tranquillitate requiescit. Peccator vero qui vitam suam in turbatione vitiorum & scelerum varietate confundit, significatur nomine Babylonis. Astius peccata manifesta sunt & adeo magna, ut à quovis possint deprehendi, & ideo non egent scrutinio, sed iudicio. Iusti autem peccata, aut minima sunt & occulta, aut si quæ magna præcesserunt, mutatione melioris vitæ, & habitu charitatis supervenientis, operta sunt. Et ob hanc causam subtili oportebit eas investigare inquisitione, ut lucernis admotis conspiciantur, quæ virtutum adumbratione latebant. Si ergo peccator jam credit Deum cuncta prospicere, mirum est, quod peccans divinam præsentiam non reformidat, cum tamen columnæ cæli contremiscant, & paveant ad nutum ejus. Forte existimat Deum adeo misericordem, vel (ut verius dicam) injustum, ut peccatis nostris non offendatur, & inulta illa esse velit. Aut impotentem forte autumat, ut etiam cum velit, punire non possit. Si de ejus potentia dubitant, audiant Prophetam dicentem. *Omne quæ Deus voluit, fecit in cælo & in terra.* Audiant etiam quid Paulus dicat in ea, quæ est ad Hebræos, epistola cap. 10. *Horrendum est (inquit) incidere in manus Dei viventis. De voluntate Dei ad punitionem malorum, non est opus producere testes: sed ipsum Deum suam ipsius voluntatem exprimere audiamus. Peccatori enim per Prophetam loquens, ita ait: Existimasti inique, quod ero tui similis, arguam te, & statuum contra faciem tuam. Quia mala facta tua placent tibi, putas etiam placere mihi: quia enim Deum non statim habes ultorem, vis habere participem, & tamquam corruptum iudicem, præde socium vis habere. Existimasti inique quod ero tui similis. Certe tui similis es-*

G

fem,